



Venerabili Fratri Nostro
PAULO EVARISTO S.R.E. Cardinali **ARNS**, O.F.M.
Archiepiscopo emerito Sancti Pauli in Brasilia

Anno Misericordiae in festo sancti Thomae apostoli, gaudebit profecto tecum, Venerabilis Frater Noster, qui sex ante menses laetus septuagesimum expletum annum Sacerdotii recoluisti et die III proximi mensis Iulii Episcopatus tui aureum iubilaeum feliciter celebrabis, cuncta religiosa tua Provincia Immaculatae Conceptionis BVM, immo totus Ordo Fratrum Minorum, quoniam multos per annos Franciscali pro Familia variis in stationibus magni momenti opera studiose explevisti. Sed laetabitur ob faustum recordationem tuam etiam Ecclesia in America Latina, quae episcopali tua navitate dimidium per saeculum fruitur teque iam quadraginta tres annos considerat in Collegio Patrum Cardinalium, quorum protopresbyter et senior factus es. Idcirco Fratres in Episcopatu, sodales tui, necessarii et amici hoc singulari die circumdabunt te ominibus sincerisque gratitudinis et laudis significationibus, quoniam iure meritoque de suo tam praestabili ac venerando Patre gloriari possunt. Quamobrem cupimus et Nos hasce per Litteras benevolentiam et laetitiam nostram expromere tibique de fausto hoc eventu deque fructuoso apostolatu tuo gratulari.

Diuturno tuo in ministerio fiducia et aestimatione gavisus es Superiorum tuorum, populi Brasiliensis atque Summorum Pontificum. Nam beatus Paulus VI Episcopum te nominavit et paucis post annis Praesulem insignis archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia constituit necnon inter Patres Purpuratos annumeravit. Sanctus Ioannes Paulus II pluries te convenit necnon magni ponderis negotia tractavit. Etiam Nos Ipsi te varios apud coetus et conventus vidimus et reverenter salutavimus. Quis enim non novit magnum tuum animum in pauperum iura tuenda, in omnium hominum vitam et dignitatem defendendam, in familiis et oppressis auxilia ferenda.

Haud necessarium tamen arbitramur singula officia tua et merita recordari, quae plurima sunt et quaedam certo solum Deo nota. Ipsi potius oportet pro omnibus gloriam et gratias reddere, secundum illud effatum Apostoli: “Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro suo beneplacito” (*Philp* 2,13). Quo spiritu permoti nunc te, Venerabilis Frater Noster, omnesque tuae iubilari laetitiae participes invitamus ad gratitudinem Domino pro universis eius beneficiis exprimendam his sancti Francisci Assisiensis verbis: “Ubique nos omnes omni loco, omni hora et omni tempore, quotidie et continue [...] in corde teneamus et amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus et benedicamus,

glorificemus et superexalteamus, magnificemus et gratias agamus
altissimo et summo Deo aeterno” (*Regula non bullata*, XXIII, 11).

Accipe denique, Venerabilis Frater Noster, hoc Nostrae
caritatis et benevolentiae documentum una cum Benedictione
Apostolica, quam caelestis gratiae pignus tibi in primis peramanter
impertimus, deinde communicandam ceteris Episcopis, presbyteris,
Ordinis tui sodalibus, religiosis viris et mulieribus, necessariis,
amicis cunctisque adstantibus Christifidelibus tam singulare tuum
iubilaeum summo cum gaudio tecum celebrantibus, simul preces
pro summo ministerio Nostro rite exercendo poscentes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Junii, anno MMXVI,
Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

Franciscus